Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32271
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

sensibilia. et qui eis sacrificare voluerint, in eterno erunt periculo.
Et amoto Philippo, iussit ad se quartum adduci Silva-
num. Cui sic ait: Convenit vobis cum pessima matre vestra
istud consilium, ut precepta principum contempnentes, omnes
simul incurratis interitum. Sanctus Silvanus dixit: Nos si
transitorium timuerimus interitum, eternum incurremus suppli-
cium. Et quia vere novimus que premia parata sunt iustis, et que sit
pena constituta peccatoribus: ideo securi legem romanam
contempnimus, ut iussa divina servemus, ut idola contemp-
nentes, et deo omnipotenti famulantes, vitam eternam inveniamus.
Adorantes autem demonia, cum ipsis in interitu erunt et in sem-
piterno incendio. Et amoto Silvano, iussit quintum presto
esse Alexandrum. Cui et dixit: Misereberis etati tue et vite
in infantia posite. Si non fueris rebellis. et si feceris fuis ea
que sunt regi nostro Antonino gratissima. Veni sacrifica diis ut
possis amicus augustorum fieri, et vitam habere et gratiam. Sanctus
Alexander: Ego servus Christi sum. hunc ore confiteor. corde teneo.
incessanter adoro. Infirma etas quam vides, canam habet
prudentiam, si unum deum colat. Dii autem tui cum cultoribus
suis erunt in interitu sempiterno. Et isto amoto, iussit sex-
tum Vitalem applicari. Cui et dixit: Forte vel tu optas vi-
vere, et non in interitum devenire. Sanctus Vitalis: Quis est qui optat
vivere melius, qui verum deum colit, an qui demonem optat habere
propitium? Publius dixit: Et quis est demon? Vitalis sanctus: Omnes dii
gentium demonia sunt, et omnes qui colunt eos. Et isto amoto
iussit septimum Martialem ad se ingredi. Credulitatis
vestre fautores effecti, augustorum statuta contempnentes, et
in iura pravitate permanetis. Sanctus Martialis: O si velles
nosse posses que pene cultoribus idolorum parate sunt. et ad-
huc tardat deus iram suam vobis et idolis vestris demon-
strare. Omnes enim qui non confitentur Christum verum deum esse, in e-
terno incendio erunt. Tunc iussit et hunc septimum amoveri.
Et gestis omnibus scripta per ordinem regi Antonino inges-
sit. Tunc Antoninus misit varios iudices ut variis
suppliciis eos laniarent. Ex quibus unus iudex fratrem primum
plumbatis occidit. alter secundum et tertium fustibus mactavit.
alius quartum per precipitium interemit. alter quintum et sextum
et septimum capitalem fecit subire sententiam. alius matrem
eorum capite truncari iussit. et variis suppliciis interemit
eos. Facti sunt universi victores et martyres Christi. qui cum matre tri-
umphantes ad eterna premia convolarunt in celis. Qui pro dei a-
more minas hominum et penas et ubera contempnentes
Christi amici facti sunt in regno celorum. Qui cum patre et filio et spiritu sancto vivunt et regnant in secula.

Passio sancte Rufine virginis.

Rufina
et secunda due sorores virgines cives romane
patre sunt clarissimo genite Asterio et matre
clarissima Aurelia. Cum fervor persecutionis iussu Valeri-
ani et Galieni augustorum in urbe romana serviret, conti-
git ut sponsi harum virginum Armentarius et Verinus a fide christia-
na recederent. Nec hoc contenti quod ipsi perierant, insuper
etiam et has dei famulas detestabili persuasione ut eos imi-
tarentur hortabantur. Que quia re volentes declinare eorum
persuasiones insanas, ad prediolum suum quod in Tuscie par-
tibus videbantur habere basterne pergebant vehiculo. Quod au-
dientes Armentarius et Verinus statim comiti Archisylao
suggesserunt dicentes: Sponse nostre repudiaverunt nos ad
infamiam deorum, quia deum unum et verum in celis colunt, et Christum
Ihesum esse testantes, omnium templorum misteria velud conta-
gionem perhorrescunt. Qua de causa urbem hodie egresse fu-
gerunt. Tunc sceleratissimus Archisilaus cum militibus suis e-
questribus iter agens sanctas dei virgines in via Flami-
nea miliario quarto decimo comprehendit. atque revocans
eas ad urbem Romam, Iunio Donato prefecto obtulit di-
cens: Istas sacrilegas virgines contra legem vivere, deos nega-
re, templa deserere, contra salutem principum agere sponsis earum
accusantibus didici. Et quia hanc curam a domino nostro invic-
tissimi principes commiserunt, fas fuit ut fugientes comprehen-
derem, et vestre magnificencie discuciendas adducerem.
Tunc indignatus Donatus prefectus iussit eas in custodiam
recipi a se invicem separatas. et die tercia in secretarium ad-
duci. Atque Rufinam ingredi iubens dixit ad eam: Cum sis
nobilis nata, quid est quod ad ignobilitatem devoluta es
et cupis esse captiva in vinculis, magis quam libera et cum
marito gaudere? Sancta Rufina: Captivitas ista temporalis
eternam captivitatem excludit, et vincla temporalia perpe-
tua vinclorum ligamenta dissolvunt. Prefectus dixit: Istas